

323

321

327

appulsi fuissemus Achajae sive Peloponnesi sive Moreae, quae  
unam regionem nominant. Est autem Achaja provincia Graeciae  
in Europa, ab Achaeo, Jovis filio, rege, appellata. Haec provincia  
fere tota est insula, nam praeter a septentrione, ubi Macedoniae  
jungitur, undique mari cingitur. In ea est principalis urbi Corinthus,  
olim grandis, potens et gloriosa, quae tempore Moysis a  
Sisypho latrone fuit aedificata et Arthea dicta, et post aucta  
Epyra est (**D**) nominata, quia aeris conflatura ibi erat. Sed inde  
destructa quidam Corinthus dictus eam renovans ei nomen suum  
dedit. Ad hanc scribit S. Paulus duas magnas epistolas, persona-  
literque cum Corinthiis fuit eosque convertit ad fidem. Haec  
civitas fuisse dicitur munitissima, quam tamen Romani in solum  
deduxerunt, et post numquam convaluit. Est insuper in ea Pa-  
tras magna civitas, in qua beatus Andreas apostolus praedicavit et  
crucifixus fuit. Est nunc tota Achaja possessa a Turcis.

317

332

312

372

272

422

222

Habet etiam Achaja promontorium quoddam, Maleum dictum,  
quod intrat mare et per millaria quinquaginta protenditur, ubi  
unda ita saeva est, ut prosequi navigantes videatur et nautas  
insequi. Ex quo narratur, quod cum concendisset in eum Maleus  
Argivorum rex, qui primus tubam aereum invenerat et piratica  
mare infestabat, in eo templum Apollinis consecravit, eumque  
promontorium Meleatrem nuncupavit, quod nos Maleum dicimus.  
Ad hoc promontorium Amphiaraus vates et augur ascendit una cum  
Melampo, visurus, quid futurum esset Argivis sive Achaeis, si bel-  
lum, quod in foribus erat, cum Thebanis assumeret. Accepit autem  
in monte responsum, si in bellum iret, non esset reversurus in  
Achajam. Abscondit ergo se et non nisi suae uxori, quam fide-  
lissimam aestimabat, suum latibulum demonstravit. Quaesitus  
autem, ut intraret bellum, non inveniebatur, videns vero uxor  
ejus monile pretiosum [quod gestabat inquisitor], id dono accepit  
et virum prodidit eoque producto in bellum cum aliis principibus  
curru vectus intravit, ubi dum fortiter dimicaret, terrae motu facto  
ingenti et in ea parte, in qua consistebat, voragine telluris pate-  
facta absorptus est cum maxima superstitione perturbatione. Sic  
et alii Apollinis oracula volentes consulere hoc ascendebant pro-  
montorium et responsa accipiebant. Sed et Centaurorum in eo  
promontorio erat habitatio, cum vino ebrii insultum fecissent in  
nuptiis Thesei, quapropter fugati in hoc fugerunt promontorium

Ende

Anfang

